



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

24 Beneficia, quae in confidentiam retinentur, sunt Sedi Apostolicae
reservata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- modo liber, & quandoctunque vacantia, etiam devoluta, & reservata conferendi.
- 22 Undecimò omnia ¶ beneficia ecclesiastica secularia, & quorumvis ordinum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, & aliarum quarumvis militiarum regularia quæcunque, & qualiacunque sint propter crimen hæresis vacantia, *cap. ad abolendam, de hæret.* de quibus in impetratione specialiter, & dispositive modus vacationis propter crimen hæresis exprimi debet, Pius V. cum ex Apost. latus, *constit. 29.* & Greg. XIII. *constit. 68. in Ecclesiis.*
- 23 Conceditur tamen ¶ hæretico quandoque retentio beneficiorum, si errorem suum agnoscendo, abjuret, *d. cap. ad abolendam.* & ibi Abb. num. 5. *cap. excommunicamus eod. tit. num. 10.* & Felin. *d. cap. ad abolendam, num. 2.* & cum sit speciale, quod in crimine hæresis liceat poenitere, quod in aliis criminibus regulariter non est permillum, in foro fori scilicet, *l. qui ea mente. ff. de furt. & l. penul. ff. de vi bon. rapt.* debet statim in hæresi deprehensus paratus esse sponte sua hæresim abjurare, *d. cap. ad abolendam,* & ibi Felin. & Gril. in tract. de hæret. *l. 1. q. 5. num. 3.*
- 24 Duodecimò beneficia ¶ quæcunque cujuscunque qualitatibus existentia, quæ in confidentiam retinentur, si tamen retineri in confidentiam hodie possunt etiam si de jure patronatus laicorum, etiam illustrium, existant, Pius IV. *constit. 109.* Romanum Pontificem.
- 25 Decimotertiò vacantia ¶ ob non publicationem resignationum, ut in Bull. Rom. Greg. XIII. *constit. 87.*
- Decimoquartò parochiales, ¶ quæ ab

ordinariis collatoribus, forma concilii Tridentini non servata, conferuntur, *cap. 18. de reform. sess. 24.* quæ provisus jus, aut titulum, etiam possidendi, non tribuunt coloratum, & Pius V. *constit. 23. in conferendu.*

Decimoquintò parochiales ¶ ad collationem Ordinariorum, de quibus intra sex menses non providerunt, & in mensibus sedi Apostolicæ reservatis ¶ intra quatuor menses à die vacationis, concursum ad Romanam curiam pro litteris Apostolicis expediendis non transmiserunt, de quibus tunc sine concursu auctoritate Apostolica providetur, *ut in eadem constit. 32.*

Decimosextò, quæ de ¶ jure patronatus existunt, si præsentatus intra tempus patronis à jure præfixum, prævio examine juxta formam dicti concilii approbatus, petatur institui, institutioque ipsa per duos menses à die præsentationis dilata fuerit, *ut in eadem constit. Pii V. 32.* In conferendis: id tamen habet locum cessante omni legitimo impedimento, quia, si propter litem inter compatronos, vel inter plures præsentatos ad institutionem intra duos menses legitime deveniri non potest, tunc cessat devolutio, & reservatio, quia non currit tempus ei, qui litigat. Bart. in *auth. si tamen, num. 1. c. de temp. appell.*

Decimoseptimò omnia ¶ beneficia ultra sex mensium spatium a die scientiæ Ordinariorum collatorum vacantia, *ut in cap. 2. de concess. præb.* quia collatio devolvitur ad superiorem, *cap. cum nostris, & cap. cum litteras, de concess. præb. cap. unic. vers. porro ut eccles. benef. sine diminut. ces. & Rebus.*